

tientem sæpè laudatum *Dn. Sturmium in Coll. Curios. Parte I. Tent. 8. Concl. 1. p. m. 46.* Ubi ita scribit: *Aqua per Canalem angustum attollitur vi aëris externi, non quatenus gravitat perpendiculariter deorsum, (Sic enim Cylindrus aëris supra tubulum cum aëre externo æquiponderans in æquilibrio servaret aquam intra tubulum, cum eâ, quæ est extra ipsum) sed quatenus compressus valdè quaquaversum urget.* Inde patet causa, cur in spongiâ, sacharo, charta bibula, pane recenti, & similibus corporibus porosis, liquor paululum immerfis, liquor ascendat, partesque longè à superficie ejus distantes humectet, *Conf. Georg. Sinclarum in arte Nova & Magnâ gravit. & levit. L. II. Dial. 3. Num. VII. p. m. 161. Dn. Job. Christ. Sturmium in Coll. Curios. Parte I. Tent. 8. Consect. 1. p. m. 48. Dn. Sam. Reyberum in dissert. de Aëre cap. XI.*

CAPUT III.

DE

BAROSCOPIO ORBICULATO quoad Phænomena considerato, subnexis eorum causis.

§. I.

PRæcipuum *Baroscopii* hujus Phænomenum est, quod index I. gradus gravitatis & levitatis aëris, in superficie rotæ H. exactè monstret. (Ex minori capacitate partis recurvæ G. prolongatione indicis & magnitudine rotæ variatio seu motus indicis major est.)

§. II. Causa est ex inspectione schematis clara, quod nimirum, pondus plumbeum, G, quia antexo filo trochleam, cui inhæret, circumducit, insimul indicem, qui rotæ affixus, moveat. Externus enim aër, superficiei mercurii in parte tubi recurvâ contenti, incumbens, æquilibrium tenet cum mercurio totius *Baroscopii*, gravior ergo aër factus, mercurium è parte recurvâ G. deprimit, ut ascendat in Baro-